



Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

Lourenço, Agostinho

Leodici Eburonum, 1692

Sectio V. Assignantur aliæ conditiones, quæ ad satisfactionem requiruntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

SECTIO V.

Assignantur alia conditiones, quae ad satisfactionem requiruntur.

103. **D**UBIUM I. Utrum opus satisfactorium, ut tale sit, debeat esse poenale? Prima sententia negat, & eam tenent Victor. sum. n. 202. Sor. in 4. dist. 19. q. 2. art. 2. Ledesm. q. 14. a. 2. dub. 2. Scor. dist. 15. q. 1. §. De tertio dico, Gabr. dist. 16. q. 2. art. 1. not. ab. 1. P. Henric. lib. 5. cap. 19. num. 5. P. Vasq. 3. p. q. 94. art. 1. dub. 5. P. Aegid. d. 10. de poenit. dub. 10. n. 29. & alii.

104. Secunda sententia huic contraria affirmat, omne opus satisfactorium debere esse poenale. Ita D. Thom. in 4. dist. 15. q. 1. art. 5. q. 1. D. Bonav. 2. part. dist. art. 1. q. 3. ad 4. Richard. art. 1. q. 3. Durand. q. 5. Palud. q. 3. Major. q. 2. dub. 2. Alens. 4. p. q. 84. memb. 2. art. 2. Adrian. q. ult. de Satisfact. Sylvest. verb. Satisfactio q. 8. Viquer. cap. 26. §. 4. n. 21. P. Soar. tom. 4. in 3. p. d. 37. num. 5. P. Valent. q. 14. punct. 3. P. Bellarm. lib. 4. de poenit. cap. 4. P. Lugo d. 25. de poenit. n. 37. P. Hurt. d. 13. diff. 6. Ochagan. tract. ult. q. 5. P. Tanner. tom. 4. d. 6. q. 8. dub. 2. n. 41. & alii. Neutra tamen sententia placet, quia neutra plene satisfacit, quatenus utraque videtur supponere, dari aliquod opus meritorium in hac vita, quod de se non sit poenale. Igitur:

105. Dico 1. Omne opus bonum, & meritorium in hac vita, est de se poenale; consequenterque satisfactorium. Probatur primò, quia omnis actus vitii, & demeritorius, est de se delectabilis, ideoque Theologi asserunt, cuilibet respondere aliquam poenam sensus iuxta illud Apoc. 18. 7. *Quantum in deliciis fuit, tantum date illi tormentum*; sed omnis actus virtutis est contrarius alicui actui vitii; ergo omnis de se affert poenalitatem, saltem quatenus affert carentiam illam delectabilitatis, quae vitio inest; ergo omnis est satisfactorius.

106. Probatur secundò, quia Confessarius potest imponere poenitentiam in poenitentiam quemlibet actum honestum; ergo quilibet est de se poenalis; consequenterque satisfactorius. Probatur tertio, quia Trid. sess. 14. can. 13. opera satisfactoria poenas vocat, & illa numerando dicit fieri jejuniis, orationibus, aut aliis etiam pietatis operibus, &c. sed nomine aliorum pietatis operum videtur comprehendere omnia alia opera sancta, & honesta; ergo omnia sunt poenalia; consequenterque satisfactoria.

107. Dico 2. Si in hac vita daretur aliquod opus meritorium, quod de se non esset poenale, neque etiam foret satisfactorium. Ita videntur tenere Doctores omnes supra citati pro secunda sententia. Probatur primò ex Trid. sess. 14. cap. 8. ubi opera satisfactoria vocantur poenae: ibi: *Magnopere à peccato revocant, & quasi freno quodam coercent haec satisfactoria poenae, &c.* Et infra: *Satisfaciendo, ait, patimur pro peccatis*; ergo videtur definire, opera, ut sint satisfactoria, debere esse poenalia. Confirmatur ex Catechismo Romano ejusdem Trid. iussu edito, nam in explicatione Sacramenti Poenitentiae num. 74. expressè asserit, opus satisfactorium debere esse poenale; ergo &c.

108. Probatur secundò, quia satisfactio propriè eò spectat, ut iustitiæ satisfiat, exigenti, ut qui plus iusto sibi indulgè offendendo, aliquid etiam satisfaciendo patiatur iuxta proximè citatam legem: *Quantum in deliciis fuit, tantum date illi tormentum*;

& ut qui alterum, quantum in se est, privavit bono suo, etiam & ipse privetur aliquo suo commodo alicujus boni utilis, aut delectabilis; sed in hoc consistit poena; ergo opus, ut sit satisfactorium, debet esse poenale.

109. Probatur tertio, quia satisfacere in hac vita pro poena alterius vitae futurae, est facere in hac vita aliquid aequivalens poenae vitae futurae; sed solum opus, quod in hac vita habet rationem poenae, est aequivalens poenae alterius vitae; siquidem sola honestas, nisi admisceatur aliquid poenae, non aequivalet poenae alterius vitae; ergo &c.

110. Obijcies 1. Satisfacere est efficere opus aliquod dignum remissione poenae; sed tale est omne opus bonum, & honestum, quo Deo placemus, licet non sit afflictivum, nec poenam afferat; ergo &c. Respondeo negando minorem quoad ultimam partem; tale enim opus solum esset meritorium, & dignum augmento gratiae, & gloriae; non autem esset satisfactorium, neque dignum remissionis poenae, ut diximus.

111. Obijcies 2. Omne opus bonum, & honestum est meritorium gloriae, licet non sit poenale; sed omne meritorium non est poenitentiae, sed gloriae meritorium, & sic meritorium non poenitentiae; siquidem poenitentia, & gloria sunt contraria; ergo est etiam satisfactorium poenae. Respondeo negando minorem; neque enim ex eo, quod sit meritorium gloriae, sequitur, quod etiam sit meritorium non poenitentiae; siquidem poena, & gloria solum contrariantur pro eodem tempore; sicque bene potest stare jus ad gloriam futuram cum reatu praesenti poenae temporalis, ut patet in animabus Purgatorii.

112. Obijcies 3. Omnes concedunt, nos per actum amoris Dei cum summa delectatione elicitem Deo satisfacere; ergo satisfactio stare potest sine ulla ratione poenae. Respondeo negando consequentiam; talis enim actus etiam cum summa delectatione elicited de se corpori, & sensui poenam affert, ut constat ex dictis; licet ea per accidens à Sanctis Viris non sentiantur propter concupiscentiam carnis jam domitam, aut propter inadvertentiam, quam fervor spiritus inducit. Undè.

113. Advertes, licet omne opus meritorium in hac vita sit satisfactorium, rationem tamen meritorii praecipue desumi ex honestate; satisfactorii verò praecipue ex poenalitate; sicque ex duobus operibus, quorum alterum est magis honestum, alterum magis poenale: primum est magis meritorium; secundum autem magis satisfactorium. Inferes: Ergo duo aequè poenalia, licet alterum esset magis honestum, essent aequè satisfactoria. Respondeo negando illationem; nam cum aequali poenalitate praeponderat major honestas alterius, à qua etiam, licet minus praecipue, desumitur ratio satisfactionis.

114. Dubium 2. Utrum opus, ut sit satisfactorium, debeat esse supererogationis, & non aliunde debitum ex praepcepto? Negativè. Ita Caiet. tom. 1. Opuscul. tract. 6. q. 1. Adrian. q. 3. de Satisfact. Sor. in 4. dist. 19. q. 2. art. 1. Petr. Sor. Lect. ult. de Satisfact. Victor. sum. num. 203. qui contrariam sententiam appellat erroneam P. Tanner. tom. 4. d. 6. q. 8. dub. 2. num. 40. P. Vasq. 3. p. q. 94. art. 2. dub. 6. P. Valent. q. 14. punct. 3. P. Henric. lib. 5. cap. 19. num. 5. P. Soar. tom. 4. in 3. p. d. 37. sect. 4. num. 3. P. Lugo d. 24. n. 34. P. Hurt. d. 13. diff. 8. P. Soar. Lusit. tract. 8. de poenit. d. 1. num. 33. P. Aegid. d. 10. num. 14. P. Bellarm. lib. 4. de poenit. cap. 3. Barbosa in Trid. sess. 14. cap. 9. num. 4. & alii. Probatur primò,

primò, quia præceptum non tollit neque libertatem, neque honestatem, neque pœnalitatem operis; sed hæc tria reddunt opus satisfactorium; ergo &c.

115. Probatur secundò, qui præceptum non tollit quominus opus maneat meritorium, ut constat ex Trid. *sess. 6. cap. 16.* & nos supra diximus *tract. 2.* ergo neque quod maneat satisfactorium. Probatur tertio, quia Martyr tolerando hic, & nunc tormenta, satisfacit; & tamen eorum toleratio hic & nunc est debita ex præcepto fidei. Similiter si quis jejundet ex voto, aut præcepto Ecclesiastico; aut pœniteat tempore, quo urget præceptum pœnitendi, siue eliciendi contritionem, satisfacit; ergo &c.

116. Oppositum tenent Palud. *dist. 15. quest. 1. art. 2. Major. q. 2. dub. 1. Almain. Gabr. dist. 16. q. 2. Capreol. dist. 15. quest. 1. art. 3.* & videtur sentire Scot. *dist. 15. quest. 1.* ubi definit, satisfactionem debere esse ex indebitis, quod exponit de debito præcepti, ut etiam videre licet *q. 2. arg. 1.* Pro quibus Argues 1. Non potest unica solutione duplici debito satisfieri; ergo neque unico opere Deo, & præcepto. Respondeo primò negando consequentiam, dato antecedente; diversa ratio est, quia illud pœnale, quod est in opere aliundè debito, est ei accidentarium, & non debitum.

117. Respondeo secundò, unicâ solutione non satisfieri duobus debitis, si hæc respiciant diversas res, ut si debeas Petro decem aureos, & postea ei fureris alios decem, non satisfacis solvendo solum decem, sed debes viginti solvere: aliter verò, si debita non respiciant diversas res; sic enim unico jejunio, aut Missâ satisfacis pluribus præceptis jejunii, & audiendi Missam, si eodem die concurrant.

118. Argues 2. Si quis voveat jejunium: aut Confessarius imponat pœnitenti auditionem Missæ, neque ille satisfacit per jejunium aliàs præceptum; neque hic per Missam aliàs præceptum; ergo &c. Respondeo totum illud pendere ex libera intentione voventis; & totum hoc ab intentione Confessarii; licet si se non explicet, semper supponatur imponere rem, & pœnam diversam.

119. Argues 3. Sequeretur ex hoc, non oportere homines aliquid facere in remissionem peccatorum; siquidem implendo præcepta satisfacerent; atqui sequela non est admittenda; ergo &c. Respondeo negando sequelam; nam etiam homines implendo præcepta merentur; & tamen inde non sequitur non oportere facere aliquid supererogationis ad gloriam promerendam. Additur, quod aliqua opera sunt magis satisfactoria, utpotè quæ sunt magis pœnalia, ut jejunia, elemosynæ, quæ non sunt ex præcepto.

120. Dubium 3. Utrum opus satisfactorium debeat esse liberum, & voluntarium? Suppono primò ut certum, satisfactionem debere esse liberam, & voluntariam, in quo omnes conveniunt. Ita D. Thom. *in 4. dist. 15. quest. 1. art. 4. quest. 2. P. Soar. tomo 4. in 3. part. d. 37. sect. 7. num. 10. P. Vasq. 3. part. quest. 94. art. 1. dub. 2. P. Tanner. tomo 4. d. 6. quest. 8. dub. 2. num. 47. P. Henric. lib. 5. cap. 19. num. 5.* Patet, quia satisfactio, sicut & meritum, fundatur in quodam morali operis valore; hic autem non est sine libertate; ergo &c. Confirmatur ex Trid. *sess. 14. cap. 9. & can. 13.* ubi limitat opus satisfactorium ad voluntarium.

121. Suppono secundò etiam ut certum, nos satisfacere per castigationes, dolores, & tormenta voluntaria, ut habetur in Trid. locis cit. Suppono tertio etiam ut certum, homines satisfacere per flagella,

dolores, & labores necessarios, seu immisos à Deo, ut aiunt, si omnia illa patienter toleremus, ut etiam habetur in Trid. cit.

Sola igitur difficultas est, An in hujusmodi flagellis, & laboribus necessariis, & à Deo immisissis, satisfactio respondeat soli patientiæ, seu actui interiori libero; an etiam dolori, seu flagello exteriori necessario? Dixi *necessario*, quia si fuerit liberum, quale est illud, quod Martyres pro fide, & amore Dei patiuntur, non est dubium illi etiam correspondere satisfactionem. Sin autem necessarium sit, plures existimant satisfactionem soli patientiæ, seu actui interiori libero correspondere. Ita *Medin. C. de satisfact. quest. 5. P. Vasq. 3. part. quest. 94. art. 1. dub. 7. Ochagau. tract. ult. quest. 6. P. Hurt. d. 13. diff. 7. Richard. dist. 11. art. 1. quest. 4. Gabr. dist. 16. quest. 2. art. 3. dub. 1. & alii.*

Nihilominus probabilior sententia, quam sequimur, asserit, satisfactionem correspondere etiam ipsi dolori, & flagello exteriori necessario; sicque eum, qui voluntarie suscipit pœnam ab extrinseco illatam propter Deum, satisfacere pro peccatis, non solum ratione actus interioris, sed etiam per se, ac formaliter per ipsam exteriorem passionem, seu pœnam. Ita D. Thom. *in 4. dist. 15. quest. 1. art. 4. Sylvest. verb. Satisfactio, q. 9. Victor. sum. num. 17. Navar. cap. 1. de Pœnit. dist. 6. & in sum. cap. 3. n. 4. P. Henric. lib. 5. cap. 19. num. 5. P. Tanner. tomo 4. d. 6. quest. 8. dub. 2. num. 40. P. Soar. tomo 4. in 3. part. d. 37. sect. 7. num. 5. P. Lugo d. 24. de Pœnit. sect. 5. P. Agid. d. 10. num. 25. P. Soar. Licit. tract. 8. de Pœnit. d. 1. num. 38. P. Filliuc. tract. 8. cap. 2. quest. 9. & alii.*

Probatur primò ex Trid. *sess. 14. cap. 9. ibi: Docet præterea, tantam esse divinae magnificentie largitatem, ut non pœnis spontè à nobis pro vindicando peccato susceptis, aut sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impostis, sed etiam, quod maximum amoris argumentum est, temporalibus flagellis à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis apud Deum Patrem per Christum IESUM satisfacere valeamus.* Ubi ponderandum est: Primò eodem modo loqui Trid. de flagellis necessariis, ac de pœnis liberis; sed certum est nos per has satisfacere; ergo etiam per illa. Secundò, non solum dicere, nos satisfacere per patientiam, sed etiam per ipsa flagella: ibi: *temporalibus flagellis patienter toleratis.* Tertio, commendare in hoc maximum magnificentiæ & amoris Dei argumentum erga nos, quod, ut ait, non consistit in eo, quod pœnis liberis tantum, sed etiam flagellis necessariis respondeat satisfactio nostra pro peccatis; ergo &c.

Probatur secundò, quia Sancti Patres docent, Deum per hujusmodi flagella purgare justos in hac vita, sicut per ignem Purgatorii purgat in alia, & ad hoc accommodant illud 1. Cor. 3. *Sabys erit, sic tamen quasi per ignem.* Ita D. Aug. *de Fide, & operib. cap. 15. & 16.* Et in Enchirid. *cap. 68. D. Greg. hom. 39. D. Chrylost. ad Hebr. hom. 5. ibi: Quia bonus, ait, non potest in omnibus bonus esse, ideo hic punitur, ut purgatus exeat.* Et D. Hieron. ad illud Nahum. 1. *Non insurget duplex tribulatio: Non iudicabit Deus, inquit, bis in id ipsum: quasi dicat, Deum non punire in futura vita, quem hic punit.* Et habetur in *cap. Quid ergo, 23. quest. 5.*

Probatur tertio ratione, quia per illa, quæ voluntariè patimur, satisfacimus; sed dum patienter flagella à Deo immissa toleramus, ea quodammodo nobis facimus voluntaria: tum formaliter per conformitatem cum voluntate Divina; siquidem, dum volumus, quod Deus vult, flagella, quæ illi, etiam nobis

nobis sunt voluntaria; tum æquivalenter per pœnitentiam; siquidem hæc æquivaler conformitati, & in hoc sensu videtur locutus D. Aug. lib. 9. q. 31. ubi appellat patientiam honestatis causam, & reum arduarum voluntariam perpersionem. *Patientia*, inquit, est honestatis, aut utilitatis causa, rerum arduarum, aut difficultum voluntaria, ac diuturna perpessio; ergo &c.

127. Probatur quartò exemplo Christi Domini, & Passionum ejus: nam Triden. sess. 14. cap. 8. ait, *Quod dum satisfaciendo parimur pro peccatis, Christo J. E. S. U., qui pro peccatis nostris satisfecit, conformes efficiamur*; sed Christus Dominus per passiones suas extrinsecus illatas ita satisfecit, ut non solum interior actus, quo illas acceptabat, & Patri offerebat, sed etiam ipsi dolores, & pœnæ corporales essent satisfactoriæ, licet Christus Dominus non illas in se efficeret, sed ab aliis illatas sustineret; ergo &c.

128. Argues 1. De ratione satisfactionis est, quod sit libera, ut diximus; sed in flagellis à Deo immissis sola patientia interior est libera; ipsum enim flagellum exterius est necessarium; ergo &c. Respondeo negando minorem, ut patet ex dictis; ipsum enim flagellum exterius est etiam liberum: non quidem phytice, sic enim est necessarium; sed moraliter quatenus volumus, quod Deus vult, per patientiam, & conformitatem cum ejus voluntate divina id disponente.

129. Argues 2. Si flagello extrinsecus illato, & immissio à Deo corresponderet sua partialis satisfactio, hæc eadem ei corresponderet, etiam si non patienter toleraretur; sed hoc non est dicendum, ut potè contra Trid. cit. ergo &c. Respondeo negando sequelam majoris; diversa ratio est, quia flagellum extrinsecus illatum, & patienter toleratum est voluntarium, & formaliter, & æquivalenter, prout supra diximus: non ita tamen est voluntarium, cum non patienter toleratur.

130. Argues 3. Si hoc esset verum, sequeretur, actum externum addere aliquid satisfactionis supra internum; sed hoc non est dicendum; ergo &c. Respondeo cum P. Soar. cit. sect. 5. num. 3. P. Egid. cit. num. 26. & P. Lugo cit. num. 45. concedendo sequelam; plus enim satisfactio, qui jejunat, quam qui solum voluit jejunare. Et ratio est, quia satisfactio correspondet castigationi voluntariæ; plus autem se castigat, qui jejunat, quam qui solum voluit jejunare.

131. Instabis: Actus externus non addit aliquid meriti supra internum, ut supra diximus tract. 2. d. 2. ergo neque etiam addet aliquid satisfactionis. Respondeo concessio antecedente, quidquid in contrarium dicat P. Ripal. de Ente supernat. d. 68. sect. 5. & latius contra P. Lugo d. 74. sect. 6. negando consequentiam; diversa ratio est, quia satisfactio respicit pœnam, quæ voluntariè suscipitur pro pœnâ debita; cum autem actus externus addat aliquid pœnæ supra internum, etiam aliquid satisfactionis addit: at verò meritum respicit honestatem; cum autem hanc non addat actus externus supra internum; siquidem hæc defumitur ab objecto motivo; actus verò externus non addit novum objectum motivum supra actum internum, idèd supra illum non addit novum meritum. Vide quæ diximus loco proxime citato.

132. Ex dictis colliges primò, cæteris paribus, plus satisfacere, qui majorem pœnam patitur; siquidè cum hæc etiam ad satisfaciendum conducat, ubi fuerit major pœna, major etiam erit satisfactio. Secundò, magis satisfacere, qui patitur ut innocens, quam qui pa-

titur ut malefactor, licet ipsa pœna sit æqualis; siquidem respectu innocentis habet majorem improprietatem, idèdque majorem rationem mali, ac proindè satisfactionis. Tertio, fieri posse, ut plus satisfaciatur quis per pœnam toleratam, quam per spontè assumptam; siquidem licet pœna ex ea parte, quæ est magis voluntaria, & magis propria, sit magis satisfactiva; ex parte tamen difficultatis, quæ est in sustinendis passionibus extrinsecus advenientibus, potest multum excedere hæc pœna tolerata: præsertim si cum illâ conjuncta sit aliqua injuria.

133. Quartò, hujusmodi satisfactionem fieri, non solum per illa flagella, quæ Deus immittit ob finem purgandi justos in hac vita, sed per omnia, quæcunque illa sint, & ex quibuscunque causis proveniant, si prædicta voluntate suscipiantur: tum quia Trid. cit. & Sancti Patres indefinitè loquuntur: tum quia omnia hæc flagella potest homo facere moraliter sua, ut supra diximus: tum quia omnia hæc flagella proveniunt ex Providentia Divina, & saltem generali intentione intendit, ut per ea exerceamur & purgemur: tum etiam quia vix potest homo, nisi ex speciali revelatione discernere, ex quo genere Providentiæ Divinæ hæc proveniant; ergo si omnia illa patienter, & voluntariè sustineat, satisfaciatur.

134. Quintò, nulla flagella hujus vitæ, quacunque ratione à Deo inferantur, esse satisfactoria, nisi per honestam voluntatem acceptentur, & in Deum aliquo modo referantur: tum quia ita videtur colligi ex Trid. cit. quatenus requirit, ut patienter tolerentur: tum quia SS. Patres ita ad illa patienter toleranda hortantur homines, ut planè significant, omnem amitti fructum, si hæc voluntas ablit: tum quia hæc satisfactio, & pœna, quam Deus exigit pro peccatis, non tam ordinatur ad aliorum exemplum, quam ad emendationem pœnitentis, & honorem divinum; hoc autem requirit saltem voluntariam acceptationem pœnitentis: tum etiam, quia si tota remissionis pœna consisteret in ipsâ nudâ passione, etiam si homo non esset in gratia; imò etiam si peccaret per impatientiam resistendo, adhuc remissionem pœnæ obtineret; hoc autem est absurdissimum; ergo &c.

135. Dubium 4. Utrum quando Deus specialiter puniat in hac vita aliquem justum pro peccato, hoc ipso eum omninò liberet à totâ pœnâ, quæ illi peccato designata est in Purgatorio? Negativè. Ita Soar. & P. Soar. tomo 4. in 3. part. d. 37. sect. 7. n. 14. Probatur primò, quia aliquando potest illa pœna non esse æqualis, ut si sit brevis, & remissa; ergo &c. Secundò, quia hoc est speciale privilegium martyris, quod perfectè purget, & omni pœnâ hominem liberet.

SECTIO VI.

Utrum ad nostram satisfactionem requiratur promissio, & acceptatio divina?



136. ACTENUS de conditionibus necessariis ad satisfactionem, ejusque effectum obtinendum, ex parte satisfaciens, & ipsius operis, superest aliquid breviter dicendum de conditione requisita ex parte Dei, quæ non potest esse alia, quam promissio, aut lex Divina.

Hæc